



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

VII. De discrimine peccati dominantis & non dominantis, seu Mortalis & Venialis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

minacibus oculis, & omnium gestuum deformitas ostendunt.

Erit acceptio.) tuæ personæ, & tui sacrificij.

Peccatum tuum cubabit.)

Cum inquit cubare peccatum, describit terram mundi securitatem carnalem, qua uiuit sine timore Dei, sine metu iudicij diuini, nec agnoscit iram Dei aduersus peccata, nec dolet propter peccata, nec horribilibus pœnis presentibus & æternis opprimitur. Cum autem in multorum animis hæc perua securitas fœlicitate sceleratorum & æruma priorum confirmetur, assidue nobis testimonia iræ Dei & presentes ac æternas pœnas proponamus. Sic hoc loco ostendit Deus certo aliud iudicium reprobis, in quo omnium hominum peccata sint reuelanda & punienda, ut etiam in hac uita autores iniquorum cædium per mirabiles occasiones patefiant, & ad supplicium rapiuntur.

Ad te erit appetitus eius.)

Id est, peccatum sollicitabit te.

De hac concione Dei supra loco 4. dictum est.

VII. Locus.

DE DISCRIMINE PECCATI Venialis & Mortalis.

Necesse est in Ecclesia retineri discrimen peccati

cati uenialis & mortalis, seu, ut Paulus, appellatione ex hoc Genesis Loco sumpta, nominat, dominantis et non dominantis.

Est autem Dominans seu Mortale peccatum, quod accendit iram Dei, & auulsit hominem à Deo conijcit in dominium Diaboli, à quo impellitur, ut ex alijs sceleribus in alia ruens, æternis pœnis opprimatur, ut in Cain, Saule & similibus.

Omnia autem peccata non renatorum, uidelicet morbus originis & omnes uiciosi affectus, & omnes prauæ actiones sunt mortalia. Sed in lapsis, qui antea fuerunt renati, tantum sunt delicta contra conscientiam, propter quæ homines amittunt gratiam, & fiunt rei æternæ pœnæ, nisi rursus ad Deum conuertantur.

Non dominans seu ueniale peccatum est reliqua in renatis prauitas nobiscum nata, & multæ flammæ uiciosorum affectuum, quibus tamen repugnat uoluntas adiuta à Spiritu sancto, & dolet adesse hæc mala, & simul uera fide statuit personam Deo placere propter Mediatorem.

Locutus est Cain ad Abel fratrem suum.)

Sicut Cain immane odium erga fratrem oratione blanda & amica, & ueri amoris simulatione texit, ut incautum & nihil mali suspicantem fratrem facilius opprimat, Sic omnibus temporibus Hypocri

N 3 te &

te & astuti, pijs & supplicibus specie beneuolentia
& pietatis insidiantur. Cum autem in Ecclesia
tota communi uita paucissimi sint sinceri & fideles
amici, plerique uero fucati & fallaces, & ut Horatius inquit,

ἔσθ' ἄγορευόντες κακὰ δὲ φρεσὶ βουδοῦσιν
ὤντες.

Ore benigna loquentes pectore praua struunt.

Diligenter has uoces meminerimus. Nolite credere in principibus, & in filijs hominum & c. In Iesum non credebat se illis, eo quod ipse nosset omnia, nec opus haberet ut quisquam testaretur de hominibus. Et Cicero inquit, Nervos atque artus esse sapientia illud Epicharmi dictum: Memento diffidere. Et narratur iocus regis Antigoni, qui dixerat, se à Deo protegere, ut ab eo aduersus amicos protegeretur.

Nec propterea uirtus est esse suspicacem et diffidentem, sed uult Deus nos animo sincero colere amicitias, & candide diligere omnes, maxime uos amicos, hoc est, officijs coniunctos, non alere inuolentiam, nec sine probabilibus argumentis, de aliena uoluntate male sentire. Sed simul uult nos se esse homines, uoluntates hominum mutabiles esse, & posse homines errare de aliena uoluntate. Sic intelligatur illud apostoli dictum 1. Corinth. 13. Dilectio omnia credit, sed non seipsum, quae sunt homini credenda, & quatenus non apparent contraria argumenta, non est suspicax, sed

candida & considerat uoluntates hominum, et probabili ratione confidit & diffidit.

Surrexit Cain contra Abel fratrem suum, & interfecit eum.)

Diligenter considerentur gradus sceleris Cainici.

Primus fons est Superbia, arrogans sibi gloriam iusticie coram Deo, propter ius primogeniturae.

Hanc sequitur Æmulatio seu Inuidia, propterea quod fratrem uidet sibi præferri.

Tertius est Simulatio beneuolentiae & hypocrisis, qua tegit suum liuorem, quo incautum fratrem facilius opprimat.

Quartus gradus est Cædes.

Quintus Negatio & excusatio peccati.

Sextus & ultimus gradus est, Desperatio.

Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.)

VIII. Locus.

DE IMMORTALITATE & futuro Iudicio.

Firmissima testimonia immortalitatis & futuri iudicij sunt neces Abelis, Esaiæ, Baptiste, Pauli & similium Sanctorum, quos antea Deus sibi curæ esse

N 4 & pla